

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ Martii 1717.

M. CLAUDIO DU CERF, Doctore Medico, Præside.

An senibus Mel?

I.

MAXIMA debetur senibus reverentia : Hi summâ ornati prudentiâ, multarumque rerum experientiâ peritiores facti, sapientissimis suis Rempublicam juvant consiliis. Ad tuendam conservandamque senum sanitatem, sex rerum nonnaturalium usus plurimùm confert ; si legitimus, animæ corporisque functiones ad constitutum usque vitæ terminum fœliciter, ut decet, absolvuntur : si improbus, morborum Ilias. Hominis vita ab ortu ad occasum perenni ad omnes partes succi nutritii (chyli videlicet ex alimentis & potubus mutuò fermentationis & tritûs commercio ritè confecti) applicatione foventur ac sustinentur ; hoc dulci recreatæ succo, illarum structura, positus, concentus, tonus, elater, & oscillatio conservantur. Plantis & animalibus solùm vivere datum est. Vitæ cursus temperamenti mutatione seu ætatum vicissitudine distinguitur. Prima omnium infantia calidissima & humidissima ; suo sequuntur ordine pueritia, pubertas, adolescentia, constans suique matura ætas, & senectus cui universim lassæ, non fractæ ætatis nomen est ; hæc enim triplex, cruda seu viridis, ingravescens, & decrepita omnium frigidissima ac siccissima. Vis senes in suis diebus exultare & lætari, fac ut eo nutriantur alimento quo bona fœlixque succedat nutritio, uberior suppeditetur spirituum copia, intestinus progressivusque sanguinis motus promoveatur, solidisque sese movendi integra concedatur libertas.

II.

SENECTUS naturalis est principiorum seu partium essentialium liquidas solidasque partes componentium motûs imminutio. Quænam sint hæc principia quæris ? Attende : Sal, Sulphur, Mercurius, Aqua, & Terra, sunt vera ac genuina corporis humani & rerum omnium quas summus Opifex condidit principia ; quæ prout tenuia sunt seu volatilia, crassa seu fixa,

pro variis ætatibus diverſa mixtio, moles, figura, ſitus, poteſtas, virtus, atque agendi ratio. In ſenectute omnia ferè evadunt fixa, lenteſcit ſanguis, (quippe lentor ſanguinis omnium morborum cauſa) acorem contrahit, in cineritiâ corticali glandulosâ cerebri cerebellique ſubſtantiâ pauci ſecernuntur ſpiritus: hinc in ſenibus vaſorum remiſſio, elaterum inertia, ſegnis fermentatio, cutis rugis aſpera, corporis macies, deleta ferè memoria, ſterilis imaginatio; quin etiam plurimis infeſtantur morbis, nimirùm ſpirandi difficultate, fluxionibus cum tuſſi, urinæ ſtillicidiis & difficultatibus, articulorum doloribus, nephritide, vertigine, ſyderatione, cachexiâ, totius corporis pruritu, vigiliis, alvi, oculorum & narium humiditatibus, visûs hebetudine, glaucedine, auditûs gravitate. Eheu! quàm miſera ſenum conditio! quot quantiſque calamitatibus ſunt obnoxii! ipſa enim ſenectus:

Expectata diù, votiſque optata ſecundis
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.

Aſt ubi ad ſummum ſenectutis apicem pervenêre; functionum omnium corporis imminet ruina, ultima dies expectanda, ceſſanteque vitæ principiorum motu, tandem vitam cum morte, quâ fit corporis ab animâ receſſus, commutant.

III.

ΓΕΡΟΚΟΜΙΚΗ pars eſt ὑγιεινῆς quæ ſenum vitæ & ſanitati proſpicit. Sanitas optimum vitæ ſuavioris condimentum, in functionum omnium integritate poſita eſt, quæ tandiù ſui juris eſt, quandiù nullus in aſſumendis alimentis error committitur. Qui vult ſanus fieri, certis legibus ſe obligare debet, intemperantiam medicorum nutricem fugiat, parcè ac ſimpliciter vivere diſcat, nec multiplici ciborum apparatu quo maxima pars hominum delectatur vitam ſibi brevem efficiat, innumeriſque morbis reddat obnoxiam. Ars noſtra ſapientibus naturæ legibus ſtabilita, certam victûs rationem cuilibet ætati & temperamento utilem eſſe ac neceſſariam nos edocet, ut ſtupenda corporis humani machina ſuis ſtet honoribus. Cùm autem liquida, ſpirituoſa & ſolida corporis noſtri ſubſtantia jugiter diffluat, alimentis opus eſt ad illius inſtaurationem. Alimentorum materia ex animalibus & vegetabilibus deſumitur. Alimenta vel ſunt ſolida, vel liquida: ſolida cibi, liquida potûs nomine donantur. Cibo fames, potu ſitis ſedantur: utriuſque natura, quantitas, qualitas, ſumendi tempus, utentis ætas conſideranda. Quodnam, amabo, alimentum naturæ ſenum debili reficiendæ & erigendæ convenientius erit quàm Mel, cui non ſpernendas ineſſe vires ad vitam ſanitatemque conſervandam, tùm authoritatibus, tùm exemplis confirmatur. Pythagoras (referente *Laërtio*) cùm frugaliſſimè viveret, ſolo ſæpè melle contentus fuit, & ad annum nonageſimum vitam perduxit, affirmabatque eos ſinè morbo vivere poſſe qui mel crebrò comederent. Pollio Romanus annum excedens centeſimum cùm interrogaretur ab Auguſto, quo vitæ regimine animi corporiſque vigorem conſervaſſet, intus melle, foris oleo, reſpondit. *Galenus*, Anthiocum cum pane & melle Attico vitam ad octuageſimum annum protraxiſſe teſtatur. *Athenæus* Democritum jam morti proximum, ſolo mellis odore & halitu vitam protogaſſe; & Corſos ideò eſſe longævos, quòd

Mel, cujus maxima copia ibi colligitur, cibus sit ipsis valdè familiaris; & sacri codicis testimonio declaratur mellis præstantia, ubi loquens de Joanne-Baptista: *Butyrum*, inquit, *& Mel comedet ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* Mel igitur optimus senum cibus, boni succi, facilis coctionis, & distributionis. Hoc suavi mollique cibo in chylum converso & singulis partibus didito, corpus solidis splendescit bonis, principes animæ functiones sua feliciter adimplent munia, vitaque demùm suis limitibus circunscripta nullis turbatur doloribus.

IV.

COELESTE donum pretiosissimumque hujusce vitæ munus Mel. An ab aëre tantùm hujus origo repetenda sit, & ab apibus in escam colligatur atque in favos transferatur; an ex plantarum succo ab apibus generetur; an quæ collegerunt in hunc saporem mixturâ quâdam & proprietate spiritûs sui mutent; an conditurâ & dispositione in hanc qualitatem vertantur, quæ ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sinè quodam fermento quo in unum diversa coalescunt; quàm variæ, quam discrepantes sententiæ? Mel apibus debetur. Hæ vagantur & flores ad Mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulêre, disponunt, ac per favos digerunt:

——————— *Purissima mella* Virgil. 4°. Georg. v. 162
Stipant & liquidò distendunt nectare cellas.

Prætereà tantus est apum labor in colligendis floribus ad Mellis productionem, ut ipsæ etiam mortem subire non vereantur.

At fessæ multâ referunt se nocte minores Idem. v. 180.
Crura thymo plenæ: pascuntur & arbuta passim
Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Sæpè etiam duris errando in cotibus alas Idem v. 205.
Attrivêre, ultroque animum sub fasce dedêre;
Tantus amor florum & generandi gloria Mellis!

Verùm ex omni apum genere Mel colligendum esse ne existimes.

Namque aliæ turpes horrent ——————— v. 95 & 100.
Elucent aliæ & fulgore coruscant
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.
Hæc potior soboles, hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes.

Mellis differentiæ tùm ex plantis, tùm à natali solo repetendæ. Quod ex Absynthio apes colligunt, gustu amarum, è Rhododendro venenatâ pollet qualitate. Præcellit omnibus ubi Thymus, Lavendula, Rosmarinus aliæque plantæ aromaticæ luxuriant. Atticum & præcipuè ex Hymetto omnium præstantissimum, à Veteribus maximè laudatum. Nos verò Melli Narbonensi palmam concedimus, cujus frugiferæ dotes habitâ ratione ætatis consistentiæ, coloris, odoris, sapotis, dignoscuntur. Sit ergò ætate recens, consistentiâ spissum,

colore album, olfactu ſuave, guſtu jucundum. Mel ſale acido eſſentiali particulisq; oleoſis conſtat, quibus intimè ſociatis, craſſi, viſcidi, tenaceſque ſucci liquidis ſolidiſque partibus hærentes, inciduntur, comminuuntur, & per diverſa corporis emunctoria, inſenſibilemque tranſpirationem foras amandantur. Ab hac ſuccorum pravâ indole immunes erunt ſenes Mellis cibo aſſueti: eâ tamen conditione ut coquatur, non verò crudum niſi in minimâ quantitate aſſumatur. Ex eo ſaluberrimus paratur potus, Hydromel vulgò dictus, ab Antiquis verò Mulſa, Melicratum, Apomeli, quo ſenum exhilaratur natura.

V.

QUEMADMODUM Lac univerſis puellulis competit, ita Mel ſenibus convenientiſſimum eſt. Divinum illud nectar in chylum facilè convertitur ac undique diſtribuitur, & per arctiſſimas nervorum, membranarum, fibrarum, cartilaginum & oſſium anguſtias penetrat. Efficacitatem principiorum ex quibus conflatur, expende: his omnibus robur, bonus habitus & pulchritudo ſenibus conciliantur. *Mel enim & nutrit, & bonum colorem exhibet:* quippe ſale ſuo acido eſſentiali, particuliſque oleoſis, craſſiores attenuantur ſucci, inertia idcircò ſenum principia majori pollent agendi virtute; ſpiritus ad cerebrum delati expeditiori cientur motu, fluxilior evadit ſanguis, circuitûs velocior motus, fibræ uberiori vividiorum particularum acceſſione ad oſcillandum aptiores, muſculorum motus validior, triturationum, ſecretionum, omniumque functionum adeſt inſtauratio; exquiſitiores quoque fiunt nervorum ope ſenſationes; vigent oculi, imaginatio, memoria, omneſque animæ actiones multò illuſtriores fiunt. Adde quod æquabili reſpiratione liber patebit aëris in pulmones ingreſſus, placidi erunt ſomni, ſuaves vigiliæ, jucundis ſenes afficientur animi pathematibus, ad riſum & ad amorem erunt proclives. Inſuper à vanâ climactericorum annorum, cometarum, aſtrorumque defectionum (quæ ſunt imperitæ plebis terricula) pernicie tuti fœliciter vivent; rectèque ſpretis arcanis ex auro, gemmis, cervorum, ſerpentumque carnibus inani molitione concinnatis liquoribus, qui ſunt ſtultæ credulitatis partus, debitum vitæ longiori curſum abſolvent. Qui merum ut ſenii Pharmacum Melli anteponunt graviter hallucinantur. Merum ſenibus noxium; mentem & ſenſus conſopit omnes, durum ex ſe, contumax & coctionis impatiens, debilem coquendi vim eludit, ſeneſque præmaturè extinguit. Quid plura? Mellis uſu vitam ducent ſenes nullis ſtipatam morbis, omnibus curis ærumniſque ſolutam. Quòd ſi tandem eò venerit ætas, quò vel cunctantibus veniendum, quò ſatietas vitæ tempus maturum morti affert, tam placidè è vivis excedent, ut obdormire, non emori videantur.

Hipp. lib. de affect.

Ergò ſenibus Mel.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1717. à ſextâ ad meridiem.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.